



Br. 48. num. 17.

13

*P. 220*  
**EXERCITATIO JVRIS  
DE  
JVRE REPRAESENTATIONIS  
EJVSQVE IN GERMANIA  
ORIGINE ET PROGRESSV**

**P R A E S I D E  
MARTINO GOTTLIEB PAVLI**

J. V. D. JVR. ET HIST. PROF. PVBL. ET ATHEN. INSPECT.

DIE VIII. OCTOB. A. R. S. MDCCCLXI

**IN AVDITORIO MAXIMO**

AD DISPVTANDVM

PROPOSITA

AB

**CONSTANTINO GOTTLIEB HECKER,<sup>GED.</sup>**

L. L. C. ET ALVMNO LEGATI FISCHERO-FERBERIANI.

**G E D A N I**  
TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS  
ET ACADEM. GYMNASII TYPOGRAPHI.



EXERCITATIO IARIS  
DE  
IARIS REPARATIONIS  
EIASOAE IN GERMANIA  
ORIGIN ET PROGRESSUS  
PRASSIDA  
MARTINUS GOTTLIEB PAULI  
DE AN OCTOB R. E. MDCCXII

MAXIMO AUGUSTO II

AD PRÆTENDAM

ALLEGORIAS

CONSTANTINO GOTTLIEB HEGNER

GLADIS

ET VENIENTIENSIS TYPOCRATI



INCLVTAE  
REIPUBLICAE GEDANENSIS  
MAGNIFICO SENATVI

ILLVSTRI  
PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS  
MAXIMEQUE STRENVIS

S. R. M.

BVRGGRAFIO  
PRAESIDI  
VICE - PRAESIDI  
PRAE-CONSVLIBVS  
CONSVLIBVS  
SYNDICO  
PATRIAEC PATRIBVS  
GLORIAM IMMORTALEM MERITIS;

PRAENOBILISSIMIS CONSULTISSIMIS  
ADMODVM QVE STRENVIS  
AMPLISSIMI  
PRIMARIAE CIVITATIS DICASTERII  
MEMBRIS

SENIORI  
CONSENIORI  
ASSESSORIBVSQVE  
FELIQVIS  
JVSTITIAE MODERATORIBVS GRAVISSIMIS;

VIRIS

VIRIS  
SVMMVM REVERENDO  
CONSULTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMIS DOCTISSIMIS  
AMPLISSIMI  
PROFESSORVM COLLEGII  
MEMBRIS  
PRAECEPTORIBVS SVIS MAXIME COLENDIS;  
NEC NON  
NOBILISSIMIS SPECTATISSIMISQUE  
AD SACELLVM D. MARIAE  
ANTISTITIBVS  
DOMINIS, MAECENATIBVS  
PATRONIS ET FAVTORIBVS  
OMNI QVA DECET PIETATE ET OBSERVANTIA  
SVSPICIENDIS, COLENDIS,  
DISSERTATIONEM HANC GRATO ET  
SVBMISSO ANIMO OFFERT  
HORVM OMNIVM  
CVLTOR DEVINCTISSIMVS  
CONSTANT GOTTL. HECKER.



Q. D. B. V.

EXERCITATIO JVRIS

DE

JURE REPRAESENTATIONIS  
EJVSQVE IN GERMANIA  
ORIGINE ET PROGRESSV.



§. I.

*Instituti ratio.*

Doctrina de Jure Repraesentationis, qua nescio, an vlla ad cognitionem pulchrior sit elegan-  
tiorque, a viris doctis non quidem prorsus  
intacta relicta, ast, si illius in primis origines  
respiciamus, variasque, quas apud Germanos  
experta est vicissitudines, nondum opinor,  
ita pertractata est, vti ea quidem meretur. Quamobrem haec  
Juris materia, ob utilitatem suam, rerumque, quibus abun-  
dat, varietatem adeo commendabilis, cum scribendi occasio  
mihi sit data, digna mihi visa est, in qua cum cura elabora-  
rem. Quoniam vero, dum hoc agere fuscipio, duplex se  
nobis aperit via, quam ingredi possumus, vna, quam Jura  
Romana,

A

## 2 DE JVRE REPRAESENTATIONIS EJVSQVE

Romana, altera vero, quam Germanica monstrant, cum vtramque calcare simul, multis tunc suscipiendis, saebrofis interdum, itineribus prohibeamur; age, derelinquamus prorsus istam, quam Jura Romana aperiunt, atque hodie vnicce ea proficiscamur via, quam patria Jura patesciunt. Cumque jus representationis apud Germanos, id quod vplurimum euenit omnibus iis, quae vtentium consuetudine formantur, non tanquam ex praescripto semel natum, sed potius sensim sensimque introductum, atque etiam pro diueritate locorum morumque, saepe palam vt jus inutile, prorsus rejectum fit; in id in primis allaborabo, vt in illius origines, omnesque, quas subinde expertum est, vicissitudines inquiramus. Haec enim & familia, quamuis obscura interdum & impedita, cum ad rei momentum plurimum adserre lucis & voluntatis existimem, eo magis mihi visa sunt digna, quibus illustrandis diligentiam adhiberem, quo magis ea ab aliis, qui de jure representationis scripsierunt, maxima ex parte neglecta esse videntur.

## §. II.

*Quid sit Jus Representationis, ostenditur.*

Ere autem erit, statim in limine hujus libelli, paucis praemittere, quid JCti Juris Representationis appellatione significant. Est autem representare, vnde jus representationis dicitur, ne alias pluresque significaciones tanquam alienas ab hoc loco excutiam, idem ac vi quadam juris exhibere presentationem ejus, quod reuera praesens non est, siue locum alterius numerumque obtinere & tantundem valere. Sic Vlpianus a) *culpa*, inquit, *dolo proxima dolum representat*. In doctrina itaque de successione ab intestato & legitima, si quem ponas intestatum decepisse relictis filiis filiorumque jam defunctorum liberis, siue etiam relictis fratribus sororibusque & filiis fratrum jam mortuorum, quando quaeritur: *vtrum nepotes loco patrum suorum defunctorum vna cum filiis primi gradus ab intestato succedant auo suo?* *vtrum porro filii fratrum jam mortuorum veniant in hereditatem patruui,* *anuncu-*  
li,

a) l. i. §. i. D. Si is, qui testam, &c.

li, amitae, materterae, id est, vna cum fratribus sororibusque defuncti superstitibus? mutato dictionis genere quaestione propositam quam frequentissime his verbis eloqui solent Juris consulti in primis recentiores: vtrum nepotes in hereditate cui suum *repraesentent* patrem jam mortuum, vtrum in hereditate patrui aut auunculi fratum filii patris sui, quem viuen- do vicerunt, *vicem repraesentent*? Ex quo autem ea res legibus, hunc in finem latis, definita est, jus illud, quod ne- potibus praecepitibusque in hereditate cui & proauo, atque fratum sororumque liberis in hereditate patrui, auunculi, materterae, amitae datum est, a JCTis in primis recentioribus *Jus Repraesentationis* dictum est. Quae cum ita sint, facile est ad intelligendum, *Jus repraesentationis esse Jus*, vi cuius in successione ab intestato ii, qui gradu remotiores sunt coheredibus reliquis, subintrant in locum defunctorum parentum suorum, vt hac ratione in partem illius hereditatis vocen- tur, cuius spem eorum morte perdiderant. *Jus itaque re- praesentationis*, vel, si maus, *successio ex jure repraesentationis*, nil aliud est, quam *successio vicaria*, quo proinde no- mine ea etiam a nonnullis insigniri solet. Ceterum, quamvis Jura nostra tres potissimum constituant heredum ab intestato ordines, descendantium, scilicet, adscendentium & collateralium, *successio* tamen ex jure *repraesentationis* *vicaria* principaliter tantum in descendantibus obtinet, in adscen- dentibus nunquam, in collateralibus autem nec olim apud Romanos obtinuit semper, nec hodie ubique admittitur. Sed de ea re nostrum nunc est, vt pro instituti ratione Juris Germanici decreta exponamus copiosius, & quae iis vnuquam de jure *repraesentationis* sancta sunt, quantum quidem hoc loco fieri potest, sollicite inuestigemus.

### §. III.

*Jus Repraesentationis apud antiquissimas gentes in usu fuit.  
Vtrum etiam apud veteres Germanos?*

*Aequitate naturali contingit*, inquit Vlpianus, b) vt, si filius suus heres esse desit, in ejusdem partem succedant A 2 omnes

b) 1. i. §. 4. D. de Suis & Legit. Hered.

#### 4 DE JVRE REPRAESENTATIONIS EJVSQVE

omnes nepotes neptesque ex eo nati, atque dixit Vlpianus, quod res est, vtique si audiamus eos, qui Jura naturalia & gentium ex instituto tractarunt. c) Hinc facile est ad existimandum, apud gentes plerasque omnes, non feras & barbaras, sed virtutis, humanitatis aequitatisque naturalis studiosas, legibus moribusque jus hoc, quod vocant, repraefentationis fuisse receptum. Apud Hebraeos illud olim in vsu fuisse, ex diuisione agrorum terrae Jacobi filii promissae probauit Hugo Grotius. d) De Romanis testes habemus Diocletianum & Maximianum Imp. qui Legibus XII. Tab. successionem hanc vicariam introductam fuisse, adserunt. e) Et quamvis ea non tam ipsis legum decemuiralium verbis introducta fuisse, sed interpretatione prudentum potius inualuisse videatur, f) nihilo tamen secius vsus illius apud Romanos tam antiquus est, vt ipsas adeo XII. Tab. aetate antecedere videatur Antonio Schultingio. g) Longum foret atque alienum ab hoc loco, si praeterea aliarum plurimumque gentium hac in re mores examinare vellem. Missis itaque reliquarum omnium institutis; venio nunc ad Germanos & ad leges moresque majorum nostrorum de successione vicaria. Quae autem & qualis temporebus antiquissimis apud veteres Germanos hac ex parte fuerit succedendi ratio, id quidem, variis quippe inuolutum difficultibus, hodie haud ita facile certo definiri potest. Cornelius Tacitus, cui prope soli omnem, quam habemus, Juris vetustissimi Germanici notitiam debemus, succedendi rationem, majoribus nostris vistitam, indicauit quidem, sed more suo, verbis concisis. *Heredes, inquit, h) successoresque*

- c) Conf. *Hugonem Grotium de Jur. Bell. & Pac.* Libr. II. Cap. VII. §. VI. item *Sam. a Pufendorf de Jur. Nat. & Gent.* Libr. IV. Cap. XI. §. XII.
- d) loc. citat.
- e) l. 3. C. de Suis & Legit. Liber.
- f) Conf. *Anton. Schultingium in Jurisprudentia Antequintin.* ad

- Caj. *Institutiones* Libr. II. Tit. VIII. not. X.
- g) loc. cit. ad *Vlpiani Fragm.* Tit. XXVI. §. 2. not. 16.
- h) *De Morib. German.* Cap. XX. atque hunc Taciti locum singulare Programmata illustravit Vir Illustr. Georg. Christ. Gebauerus, Goetting. 1754.

*resque sui cuique liberi, & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, auunculi.* Haec verba primo intuitu plana & facilia sunt, sed si paullo curatius ea mediteris, ab omni dubitatione neutiquam vacua, & variis omnino quaestzionibus obnoxia. Inter has quaestiones non ultima est haec: *Vtrum ergo juri representationis concurrentibus filiis & nepotibus apud maiores nostros fuerit locus, nec ne?* Affirmando ea esse videtur, idque vel ideo, quod Tacitus: *Heredes, inquit, successoresque sui cuique liberi, sub quo nomine non tantum filii, qui dicuntur primi gradus, sed nepotes quoque & pronepotes intelligendi, plane ut Justiniano vistum, qui, quodsi, inquit i) nepotes sint, an appellatione filiorum & ipsis tutores dati sint? dicendum est, ut & ipsis dati videantur, si modo liberos dixerit, ceterum si filios, non continebuntur, aliter enim filii, aliter nepotes appellantur.* Quamvis autem negari non possit, liberorum appellatione nepotes & pronepotes, ceterosque, qui ex his descendunt, contineri, atque igitur ex mente Taciti & primi & vteriorum graduum liberos olim apud Germanos parentum suorum fuisse heredes successoresque; exinde tamen nondum sequitur, juri representationis apud maiores nostros fuisse locum. Nepotes aut pronepotes olim fortassis tunc demum succedebant aucto suo & proaucto, si soli essent, non autem concurrentibus primi gradus liberis ex jure representationis. Atque haec, quae dixi, nequaquam sola & fragili nituntur conjectura, nituntur potius auctoritate legum publicarum, quae quidem multo post tempora Taciti & extra Germaniae fines in scripturam redactae, nihilo tamen secius vere Germanae & sat is antiquae sunt. Scilicet, Wifigothorum Leges inter alia multa de hereditatibus & haec habent sequentia: k) *Iu hereditate illius, qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt. Si filii desunt, nepotibus debetur hereditas.* Si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hereditatem vocentur. Heredes itaque apud Wifigothos successoresque sui cuique liberi,

A 3

plane

i) §. fin. I. Qui Testam. Tutor. da-  
ri poss. addel. 220. D. de V. S.

k) Libr. IV. Tit. II. §. 2.

plane ut Tacitus de Germanis testatur, sed primi omnium filii, atque nepotes non, nisi, si soli sint, id est: deficientibus omnino liberis primi gradus. Ergo nullum apud Wifigothos Jus repraesentationis. Quae cum ita sint, non defuerunt etiam viri eruditii, qui jus repraesentationis olim apud majores nostros in vnu fuisse negarunt. Hugo Grotius, vir sumimus, veteres Germanorum mores, inquit, l) *subitionem istam, siue repraesentationem ignorarunt etiam inter liberos,* cui ad stipulatur Joannes Nicolaus Hertius, vir rerum Germanicarum scientissimus, m) aliquie plures, quos addere nolo. Quantum itaque hodie de his vetustissimis Germanorum moribus coniicere licet; majores nostri jus repraesentationis prorsus ignorasse videntur, atque nepotes, qui ob praematuram parentum suorum mortem olim iis bonis excidisse videntur, ad quae habenda spes lege aut destinatione majorum parentibus eorum jam fuerat collata, id tanquam fatalem calamitatem ferre debebant.

## §. IV.

*Primae origines Juris Repraesentationis apud gentes Germanicas.*

Expositis itaque iis, quae erant dicenda de Jure Germanorum antiquissimo non scripto, ad ea progredimur tempora, quibus consuetudines majorum nostrorum moresque sensim sensimque in scripturam redacti sunt. Factum autem id est non semel & simul, sed successiue, & primum quidem ab iis populis, qui extra Germaniae fines nouas quaefuerunt sedes, hoc autem facto & acquisita sibi aliqua latine loquendi scribendique facultate, jura sua litteris cognitarunt, cum e contrario, quae in Germania substiterunt gentes, si a Francis discesseris, iure consuetudinario porro vixerunt, nec de scribindis legibus, quamdui sui juris manserunt, cogitarunt. In his

l) De d. I. &amp; P. Libr. II. Cap. VII.

Libr. I. cap. LXXXI. §. 1. Operum Vol. I. Tom. III. pag. 351.

§. XI. in not. item §. XXX.

m) De Paroemiis Juris German.

his autem legibus scriptis diuersorum veteris Germaniae populorum, quarum collectiones, adhuc hodie superstites, tanquam thesaurum antiquitatum patriarchum quantius pretii, vox manuque venerantur, prima deprehendimus vestigia juris representationis, olim quidem, vii videtur, proslus incogniti, sensim vero apud majores nostros introduceti, quae proinde paulo curatius indaganda perscrutandaque esse videntur. E variis autem originis Germanicae populis, quorum legibus ius representationis sensim introductum est, primo dicamus de Francis, inclita gente, atque his, potissimum vero proxime in sequentibus temporibus longe lateque dominante. Horum itaque Francorum Rex, Childebertus II. cum communis consensu & consilio totius regni optimatum de hac successione vicaria legem tulit, cujus verba, quae hic pertinent, sunt sequentia: *Ita DEO auxiliante Antonaco Kal. Mar. anno XX regni nostri conuenit, ut nepotes ex filio vel ex filia ad auicularias res cum auunculis vel amitis sic venirent in hereditatem, tanquam si pater aut mater viui fuissent. De illis tamen nepotibus istud placuit obseruari, qui de filio vel filia nascuntur, non qui de fratre.* n) Antonacum, cuius meminit lex nostra statim ab initio, Hieronymo Bignonio teste, o) olim erat oppidum ad Rheni fluente Romanis notissimum, deinde Regum Francorum palatium, & sedes eorum, qui Franciae orientali imperarunt. Andernach vulgo vocant. Lindenbrogius p) pro Antonaco reposuit Attiniaco, Attigny, quod itidem olim celebre fuit Regum Francorum palatium, in quo plures habiti sunt conuentus, sed omnes veteres libri, teste Bignonio q) & Baluzio r) habent Antonaco. Scripta autem est lex nostra anno XX. regni Childeberti regis. Atqui regnare coepit Childebertus anno saeculi post Christum natum

n) V. Stephan. Baluzii Capitul. Reg. Francor. Tom. I. Cap. I. pag. 17. & Lindenbrogii Codic. L. L. antiquar. German. pag. 346.

o) In Notis ad Legem Salicam

apud Baluzium loc. cit. Tom. II. pag. 857.  
p) loc. cit.  
q) loc. cit.  
r) loc. cit. in Not. ad Capitul. Tom. II. pag. 987.

## 8 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

tum sexti septuagesimo quinto, s) vnde patet, circa finem saeculi sexti atque circa annum nonagesimum quintum eam esse perlatam. In ipsa legis sanctione, quae hunc veluti prologum excipit, successio ex jure, quod vocant, representationis vicaria, quae ad haec usque tempora Francorum prorsus incognita fuisse videtur, sine omni controuersia introducitur. Nam vero his, quae hac lege de nepotibus ex filia dicuntur, obstat evidentia ea, quae in Lege Francorum Salica de filiarum exclusione ab hereditate & successione cauentur. *De terra Salica*, ait Lex Salica t) nullus portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terrae hereditas perueniat. Itane vero nepotes ex filia ipsa matre sua apud Francos olim in hereditate potiores fuerunt? Minime gentium. Praeterquam enim, quod in lege Childeberti expresse dicitur: conuenit, ut nepotes ex filia ad auiatricas res cum amitis sic venirent in hereditatem, tanquam si mater viua fuisset; Lex Salica, quae mulieres excludit ab hereditate, loquitur tantum de terra Salica, neutiquam vero de rebus auaticis ceterisque hereditariis. Et quamvis etiam in allodiis ex legibus Francorum, aliorumque populorum Germaniae filii praeferebantur filiabus, nisi pater his speciatim prospexisset, id quod olim vere fuisse factum, ex Marculfo discimus, u) tamen non exstantibus filiis, rerum auaticarum & allodialium heredes apud Francos olim erant filiae, x) una ex iis autem jam mortua, ex jure representationis, ita jubente Childeberto, illius liberi superfites. Ceterum verba finalia legis nostrae sat is indicant, introduxisse quidem Childebertum successionem, quae fit ex jure representationis, vicariam, sed in linea tantum recta, neutiquam vero collateralis; *De illis tamen nepotibus*, inquit Childebertus, *istud placuit obseruari*, qui de filio vel

s) Vid. Illustriss. Comit. a Bünae  
Teutsche Kayser- vnd Reichs-  
Historie, Tom. II. p. 113.

t) Tit. LXII. §. VI. apud Linden-  
brogiū loc. cit. pag. 342.

u) Vid. Marculf. Formulas Libr. II.

Cap. XII. & in Appendic. Cap.  
XLIX. apud Baluzium, loc. cit.  
Tom. II. p. 412 & 462.

x) Conf. Leges Ripuariorum Tit.  
LVI. §. 3. apud Lindenbrogiū,  
l. c. pag. 460.

*vel filia, nascuntur, non qui de fratre.* In linea itaque collaterali, neglecto prorsus omni jure representationis proximior apud Francos semper excludebat remotiores. Enimvero non Francorum tantum, sed & ceterorum originis Germanicæ populorum, non quidem vniuersim omnium, quorundam tamen legislatores successionem ex jure representationis, latis hunc in finem legibus, introduxerunt. Apud Longobardos Grimoaldus Rex, qui anno post Christum natum 672. mortuus est, de hac nostra successione vicaria sequentem tulit legem: y) *Si quis habuerit filios legitimos unum aut plures, & contigerit, unum ex his viuente patre mori, & dereliquerit filios legitimos unum & plures, & contigerit autum mori; talem partem percipient de substantia cui sui una cum patruis suis, quem pater eorum inter fratres suos percepturus erat, si viuus fuisset.* Similiter & si filiae legitimae, una aut plures, aut filii naturales, unus aut plures, fuerint, habeant legem suam, sicut in hoc edito legitur, quia inhumanum & impium videtur nobis esse, ut pro tali causa exheredentur filii ab hereditate patris sui, pro eo, quod pater eorum in finu ai mortuus est, sed ex omnibus aequalem, ut supra, cum patruis in loco patris sui post mortem cui percipient portionem, & q. s. r. Distinguit Grimoaldus hac in lege inter filios & filias, atque de illis primo, de his autem ultimo loco loquitur, etenim apud Longobardos, non minus, ac apud alias gentes Germanicas plerasque, in omni successione filii praeferebantur filibus, quae posteriores non nisi deficientibus filiis legitimis ad successionem admittebantur. z) Filiabus deinde jungit Grimoaldus filios naturales, quamvis enim nati ex illicito coitu nihil prorsus caperent ex hereditate parentum, Longobardi tamen, apud quos frequentior erat concubinatus, filiis naturalibus aliquam hereditatis partem deberi putabant, atque igitur etiam eorum liberos ad successionem vicariam ex jure representationis admittebant. Praeterea etiam apud Visigo-

B  
thos

y) V. Leges Longobardorum Libr. II. Cap. XVIII. apud Lindenbrogium loc. cit. pag. 605.

z) Vid. Leg. Longobard. Libr. II. cap. XIX. loc. cit. pag. 605.

10 DE JURE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

thos a) & Burgundiones b) quaedam, quamvis subobscura, deprehendimus vestigia introducti juris repræsentationis, quibus tamen ob loci temporisque angustiam diutius inhaerere non possumus. Quae vero sit causa & ratio hujus apud Francos, Longobardos, Wisigothos & Burgundiones recepti juris repræsentationis, vel ex vna Grimoaldi ea de re lata lege facile potest cognosci, qui: *inhumanum, inquit, & impium videtur nobis esse, ut pro tali causa exheredentur filii ab hereditate patris sui, pro eo, quod pater eorum in sinu aui mortuus est.* Neque tamen improbabile prorsus est, ea, quae in his veterum Germanorum legibus de jure repræsentationis sancta esse diximus, ex Jure fortassis veterum Romanorum ciuili esse petita. Nam Wisigothos, Longobardos ceterasque gentes ante dictas ex diuturna illa cum Romanis consuetudine etiam circa leges peregrini quid attraxisse, tam certum est, quam quod certissimum.

§. V.

*Praeter Francos reliqui Germaniae magnae populi  
Jus repræsentationis ignorasse videntur  
vsque ad tempora Ottonis M.*

Quae hactenus de prima origine juris repræsentationis apud varias originis Germanicae gentes diximus, de iis potissimum gentibus intelligenda sunt, quae relicta vetere patria per orbem Romanum arma victoria circumtulerunt. Itaque, ut cetera peragamus, ad eos nunc progredimur populos, qui in patrio solo subsisterunt, atque sedes terrasque ex migratione ceterarum gentium vacuas occuparunt, successuque temporis in Germania magna amplissima regna condiderunt, tandem vero tantum non omnes in Francorum potestatem peruerterunt. Loquor autem de Frisiis, Saxonibus, Alamannis & Bajuvariis, quorum populorum leges, ab eo potissimum tempore,

a) Vid. *Leges Wisigoth.* Libr. II. b) Vid. *Leges Burgund.* cap. LXXV.  
Tit. V. §. IV. apud *Lindenbrogiūm* loc. cit. p.  
gium l. c. pag. 91. apud *Lindenbrogiūm* loc. cit. p.  
296.

tempore, quo sui juris esse desierunt, in scripturam redactas, adhuc hodie exstant. Hae autem harum gentium Germanicarum leges in unum omnes ignorant prorsus successionem, quae fit ex jure representationis, vicariam. Ait quidem Lex Saxonum: c) *Qui filium aut filiam habuerit, & filius, uxore ducta, filium genuerit, & mortuus fuerit, hereditas patris ad filium filii, id est, nepotem, non ad filiam pertineat.* Sed haec verba de jure representationis non sunt intelligenda. Ignorarunt quippe Saxones, ut & reliqui Germaniae populi plerique omnes, feminarum successionem, atque sequiorenam sexum in successione parentum non nisi deficiente mascula prole admiserunt. Pater aut mater defuncti, inquit Lex Saxonum d) *filio non filiae hereditatem relinquit,* Et paulo post: e) *Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnes hereditas pertineat.* Neque vero Saxones filios tantum familias, sed ipsos etiam nepotes ex iis filiabus in hereditate olim praetulerunt, & de hoc in primis casu loquitur istud Legis Saxonicae caput, cuius supra memini, atque igitur jus representationis, si quod est, nepote tantum, eoque solo cum filia concurrente admittit. Vtrum vero nepotes una cum filiis familias in successione sint admittendi, de ea re in Legibus Saxonum antiquis nec vola, nec vestigium, deficiente vero lege certa, quis quaeso id adfirmabit? cum Saxones ea de re multo post dubitasse, tam certum sit, quam quod certissimum. Sed apud Francos tamen jus representationis lege publica & expressa introductum est, ceteri vero Germaniae magnae populi sensum paulatinique in Francorum potestatem pertinuerunt. Quod itaque a Francis olim introductum, id fortassis ab iis, tanquam victoribus in reliquias gentes deuictas, abrogatis earum consuetudinibus contrariis, successu temporis translatum est. Sed abhorret hoc a moribus veterum Germanorum, in primis etiam Francorum, quos, scimus, gentibus deuictis jura sua non obtrusisse, sed optionem potius dedisse, suisne patriis, an Francorum legibus viuere vellent?

B 2

De

- c) Tit. VII, §. VI. apud Lindenbrogium loc. cit. pag. 477. d) l. c. §. I. apud eundem p. 476.  
e) l. c. §. IV. apud eundem p. 477.

12 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

De Germanis, qui, relicta Germania, in cultioribus orbis Romani prouinciis confederunt, luculenter probauit Joannes Gottlieb Heiniccius, f) eos prouincialibus, quos quibusque locis repererant, leges Romanas permisisse. Qui ergo Franci hoc temporis interuallo Burgundiones, Frifios, Alamannos & tandem Saxones quoque diuturno bello perdomuerunt, Bajuarios vero in ditionem acceperunt, erga Germanos tanquam fratres haud duriores esse potuissent, quam quidem erga Romanos fuerant olim. Praeterea de Saxonibus expressis verbis id testatur Poeta Anonymus apud Godofredum Guilielmum Leibnitium, quando ait: g)

Tum sub judicibus, quos rex imponeret ipsis  
Legatisque suis permissi legibus vti  
Saxones patriis & libertatis honore.

Quoad reliquos populos autem, qui in Francorum potestate peruererunt Egimardus refert: h) *Carolum M. omnium nationum, quae sub ejus dominatu erant, jura, quae scripta non erant, describi ac litteris mandari fecisse*, quem alium in finem, quam, vt auctoritatem suam, quam haecenus habuerant, porro retinerent. Et quamvis Carolus M. his gentium Germanicarum legibus varia noua adjecerit capitula, atque praeterea in comitiis regni quam plurimas nouas leges, ab omnibus in vniuersum ciuibus obseruandas, perscriperit, quales deinde & Ludouicus Pius, ceterique Francorum Orientalium & Occidentalium reges publicarunt, has inter tamen nulla, quantum scio, hodie exstat aut exstigit vnuquam, qua jus repræsentationis, olim a Childeberto apud Francos introductum, reliquis gentibus Germanicis, quae his temporibus Francorum imperium comiter venerabantur, fuerit injunctum. Ignorarunt itaque, vti videtur, Germaniae magnae populi, si a Francis discesseris, plerique omnes successionem, quae fit ex jure repræsentationis vicariam, etiam eo tempore, quo sui

f) In Histor. Jur. German. Cap. I. Leibnitium Script. Rerum Brunsvicens. Tom. I.  
§. XIII sqq.

g) In Annal. Caroli M. ad annum 803. apud Godofred. Guilhelm. h) In vita Caroli M. Cap. XXIX.

sui juris esse deferunt & in Francorum potestatem peruenient, sub Carolo M. ejusque successoribus, vsque dum ejus stirps apud Germanos defecit.

## §. VI.

*Sub Ottone M. etiam in Germania magna Jus Repraesentationis vniuersali lege introductum est.*

Quod autem Germani, qui Germaniam magnam post tot gentium originis Germanicae migrationes inter se partiti sunt, per tot saecula ignorasse videntur Jus Repraesentationis, id tandem iis temporibus, quibus rerum summa in Germania in Saxonice gentis duces translatata est, sub Ottone M. lege publica vniuersali, atque varias ob causas maxime memorabili introductum est. Ipsa quidem hujus legis verba legitima hodie non amplius exstant, quam enim Goldastus legem resert, eam teste Hermanno Conringio i) ipse conscripsit, neutiquam vero veteri ex monumento accepit, Rem tamen omnem memoria prodiderunt Wittichindus Corbejenfis, k) atque Siegbertus Gemblacenfis l) aliique. Wittichindus, Ottoni M. coaevus, ob eamque causam in primis fide dignus auctor, hanc rem his verbis enarrat: *De legum quoque varietaete facta est contentio, fuereque qui dicarent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque cum filiis legitime sortiri, si forte parres eorum obiissent auis superstibus.* Vnde exiit edictum a rege, ut vniuersalis populi conuentio fieret apud villam, quae dicitur Stela, factumque est, ut causa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi honeste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant interfisi

B 3

lios

i) De Origine Juris German. Cap. XVIII. pag. 100.

k) Annalium Libr. II. apud Henr. Meibomium Scriptor. Rer. Germ. pag. 644.

l) In Annalibus seu Chronographia ad annum 842. apud Joann. Pistorium Scriptor. Rer. German. p. 580.

## 14 DE JURE REPRAESENTATIONIS EJSQVE

lios, & firmatum est, ut aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent pacto sempiterno. Fuerunt itaque ipsis adeo Ottonis M. temporibus, qui successionem ex jure representationis vicariam non ignorarunt tantum, sed tanquam jus iniquum prorsus rejecerunt, luculento indicio, jus illud, quamvis apud Francos jam olim fuerit receptum, reliquis tamen Germaniae magnae populis ad haec usque tempora incognitum mansisse. Quoniam vero his ipsis temporibus de hac legum varietate, vti ait Wittichindus, orta est contentio, de ea componenda deque introducendo hac in re iure vniuersali & aequali toto animo cogitauit Otto M. Imp. cumque in finem vniuersalem populi conuentum apud villam, quae dicitur *Steila* indixit, quae villa, Meibomio teste m) in Westphalia sita est, e regione Werdenae imperialis monasterii ad Ruram, atque hodie dicitur *Steil*. In his autem comitiis magna, vti videtur, super quaestione proposita orta est dissensio, omnis enim ea res, inter agentium negantiumque dissidia suspensa, placuit tandem proceribus, vt certis quibusdam arbitris, eorumque decisioni committeretur. Sed noluit Otto M. viros nobiles & fenes populi inhoneste tractari, & quare? ideo dubio procul, quia quamcunque etiam sententiam ferrent viri isti nobiles, arbitri constituti, non defuturi erant, qui alia omnia sentirent. Meliori itaque consilio vhus Otto Imp. rem inter gladiatores discerni jussit. Majores enim nostri, cum nihil paene non facerent armati, etiam lites armis decernebant, dextram existimantes non virtute regi, sed Astraea & Themide. Vicit igitur pars, pergit Wittichindus, eorum, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est, ut aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent, pacto sempiterno. Atque sic tandem introducta est in Germania lege publica vniuersali successio nepotum vicaria, quae fit ex jure representationis. Ait quidem Wittichindus, ut aequaliter cum patruis hereditatem diuiderent nepotes, atque his verbis de successione in capita loqui videtur. Sed Wittichindus, tanquam monachus, ignorabat sine omni dubio, successionem, quae

m) In Notis ad Historiam Wittichindi loc. cit. pag. 688.

quae fit in capita diuersam esse ab ea, quae fit in stirpes ex jure repraefationis, atque igitur ex ignorantia, vbi vnice de posteriore sermo est, tali usus est dictionis genere, quod perperam ab imperitis de successione in capita potest intelligi. Neque enim historia insequentium temporum permittit, vt haec Wittichindi verba de successione in capita accipientur, neque Childeberti, Francorum Regis, constitutio, quae fortassis hujus legis Ottoniana mater dicenda, & quae nepotes ex filio vel filia ad auaticas res cum auunculis vel amitis sic venire in hereditatem debere ait, *tanquam si pater aut mater viui fuissent*, id quod nullo modo de successione in capita, e contrario vero vnice de successione in stirpes, quae fit ex jure repraefationis, dici potest. Ceterum Wittichindus vnice de *filiis filiorum* loquitur, deque iis ait, pacto sempiterno esse firmatum, vt *cum patruis*, id est, patris fratribus, non matris, vel auunculis hereditatem diuidant, & recte. Quamuis enim alias, apud ipsos etiam Romanos, filiorum appellatione etiam filiae comprehendantur <sup>n)</sup> praeterea vero scriptores, qui dicuntur mediæ aëvi, haud adeo scrupuloſe proprietatem vocabulorum, eorum in primis scrutentur, quibus personae cognatae a se inuicem distinguuntur, prouti paucis abhinc annis ex instituto probauit V. C. Samuel Lentz, <sup>o)</sup> hoc tamen Wittichindi loco omnino vnice per patruos patris fratres sunt intelligendi. Quemadmodum enim olim temporibus antiquissimis ita etiam temporibus Ottonis M. apud Germanos plerosque, in primis vero apud Saxones filiae non admittebantur ad successionem, nisi defientibus prorsus filii familias, atque durauit, haec consuetudo etiam multo post tempora Ottonis M. prouti infra ex speculo Saxonico ostendemus.

## §. VII.

<sup>n)</sup> I. 201. D. de V. S.

<sup>o)</sup> In der Abhandlung von der  
mannichfältigen Bedeutung der

lateinischen VerwandschaftNahmen bey den Sribenten mittler Zeiten. Coethen & Dessaу 1756. in 8vo.

16 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

§. VII.

*Speculi Saxonici & Alamannici de Jure  
Repræsentationis decreta.*

Quae hactenus exposuimus, prima sunt & antiquissima vestigia introducti apud Germanos sensim sensimque Juris repræsentationis. Recepérunt autem majores nostri hanc vicariam successionem in linea tantum, vt ajunt JCti, recta eaque descendenti, non in obliqua & collateralí, quin imo, ne ad collaterales extendantur ea, quea hac de re sancta sunt, verbis interdum expressis prohibuerunt. *De illis tamen nepotibus*, inquit Childebertus, Francorum Rex, p) iſlud placuit obſeruari, qui de filio vel filia nascuntur, non qui de fratre. Qualis autem olim & jure veteri erat successio nepotum vicaria, ex quo ea a majoribus nostris recepta est, talis etiam aeuo medio illius fuit conditio. Comprobant hoc morum patriorum medii aevi collectiones celebratissimae, Speculum scilicet Saxonicum & Alamannicum. Speculum Saxonicum hac de re ait: q) *Nimmt ein Sohn bey seines Vaters Leben ein Weib, so ihm ebenbürtig ist, vnd gewinnet Soegne mit ihr, und stirbt hernach vor den Vater, ohne mit dem Erbe abgefunden zu seyn: so nehmen dessen Soegne an des Vaters statt gleichen Erbtheil mit ihren Vetttern in den grossäterlichen Erbe, jedoch bekommen sie alle nur ein Kindstheil. Dieses aber wiederfaehrt den Töchterkindern nicht, dass sie sollten mit der Tochter in des Grossvaters oder der Grossmutter Erbe koennen gleichen Theil nehmen.* De filio familias his verbis loquitur Speculator, non, vt illius appellatione vtriusque sexus liberos comprehendat, sed quia filiae, nisi prorsus deficerent filii, apud Saxonés plane exhortes erant hereditatis parentum, dummodo, hereditatem maternam quod attinet, excipias Vtensilia, die Gerade. Nam: *Vaters vnd Mutters, Schwestern oder Brüder Erbe*, inquit Speculator, r) *nimmt der Sohn, und nicht die Tochter, es sey denn, dass kein Sohn sey, so nimmts die*

p) In lege §. IV. citata.

q) Jur. Prou. Libr. I. Cap. V.

r) loc. cit. Libr. I. Cap. XVII.

*die Tochter.* Proximi itaque primique heredes, secundum Jura Saxonica medii aei, sunt sui cuique filii, atque praemortuo uno ex iis, nepotibus ex eo superstitibus, vna cum filiis simili praemortui nepotes, sed ita tamen, ut hi in stirpes succedant jure repraefentationis, reliqui vero in capita. Quamuis autem deficientibus prorsus filiis familias, etiam apud Saxones filiae vocarentur ad successionem; tamen, si vna ex iis, sed relicitis liberis, jam mortua erat, jus repraefentationis locum non habebat, atque nepotes neptesque ex filia vna cum materterta auo auiaeque non succedebant ob verba expresa Speculi Saxonici supra adducta finalia. Sed satis de Juris Saxonici medii aei decretis, quibus expolitis, pergitimus ad Speculum Alamannicum, ejusque de jure repraefentationis functiones. Quamuis autem Alamanni Saxonum ceterarumque antiquiorum originis Germanicae gentium mores de successoribus eatenus migrarint, ut filias aequae ac filios ad successionem admitterent, praeterquam quod, si pater nil, nisi praedium, quod dicitur *Siedelhoff*, *Sedelhoff*, *Sadelhoff*, hodie vero ut plurimum *Sattelhoff*, reliquerit, illud filius solus caperet, sororiique sua daret, quantum vellet; s) tamen quod jus repraefentationis attinet, ratione illius Saxonum & Alamannicum Jus per omnia conueniunt. Quemadmodum enim apud Saxones eo gaudebant nepotes ex filiis, neutiquam vero ex filiabus; ita Speculum Alamannicum de ea re ratione prorsus eadem ait: t) *Nimbr ain Man Weyb pey seines Vaters Leib, dew im ebenbürtig ist, vnd gewinnet er Sun pey ir, vnd stirbt er darnach, e das's sein Vater sein Erib mit im getaile, desselben Mannes Sun die nemet gleichen Erbtail an ires Vaters stat enneben iry Vetttern, aber sy nemmet all nicht, wann aines Mannes Thail, vnd das's mag den Tochterkindern nicht wiedervarn, das's sy gleichen Tail nemme, da sy dann nicht Suns Kinde.* Ceterum receperunt Saxones & Alamanni quidem successionem vicariam quae fit ex jure repraefentationis, sed neutiquam tamen vniuersa prorsus Germania, qua qua patet,

C

tet,

s) Jur. Prou. Alam. cap. 279. p. 46 t) Jur. Prou. Alam. cap. 253. apud & 47. Editionis Bergeriana. Bergerum pag. 14.

## 18 DE JURE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

et, eam recepit, deprehenduntur potius etiam his temporibus regiones & loca, quibus neque constitutio Ottoniana, neque Specula tantam habuerint auctoritatem, vt nepotes cum primi gradus liberis ad successionem in bona aui auiaequae fuerint admissi. De Jure Lubecensi hoc testatur Joach. Lucas Stein, u) de Hassia autem V. C. Joannes Georgius Estor refert x) jus repræsentationis sero demum atque circa annum p. C. n. 1376. fuisse introductum; deinde receperunt Saxonnes & Alamanni quidem Jus repræsentationis, sed in linea tantum recta & descendenti, in linea collaterali vero Germani & Jura Germanicae medii aevi prorsus ignorant successionem hanc vicariam. Nam in linea collaterali obtinet regula: *Der sich naeber zu der Sippe ziehen mag, der gebet denen andern im Erbe vor.* y) Fratres vero defuncti uno gradu proximiiores sunt, quam quidem fratum defunctorum liberi, inde ait Speculator Sueuus. z) *Vnd also habnt Geswifreidt die Erste Sippzahl - - - - so habnt dann Geswifreidt Kind die andre Sipp.* Vocabulum *Sippe*, *Sip*, *Sib* antiquissimum quidem est, sed cuius origines tamen & nativa significatio hodie incognita, certe dubia quam maxime est. Joann. Georgius Wachterus a) a cippus deducit atque antiquissimis temporibus stirpem vel truncum arboris, vnde rami progerminant, denotasse existimat, quam tamen derivationem in dubio linquit Christian. Gottl. Haltaus. b) Glossa ad Weichbildum ait: c) *Sipp heift so viel, als das Geblute, vnd eine Sipschaft bedeuuet Blutsfreundschaft.* Sensus itaque verborum e Speculo Saxonico & Alamannico adductorum, atque Paroemiae Juris Germanici exinde natae: *Je naeber dem Sipp,*

je

- u) In der Einleitung zur Lübschen Rechtsgelehrsamkeit §. 195. p. 241 & 244.
- x) Tom. II. der Deutschen Rechtsgelehrheit §. 3007 & 9. pag. 62. 63.
- y) Jus Prou. Sax. Libr. I. Art. 3. adde Joann. Nicol. Hertium de
- Paroem. Jur. German. Libr. I. cap. 83. Opuscul. Vol. II. Tom. III. pag. 352. 353.
- z) Jur. Prou. Alam. cap. 251. l.c. pag. 12. 13.
- a) In Glossario h. v. pag. 287.
- b) In Glossario h. v. pag. 1690.
- c) Art. 63.

*je naeher dem Erbe*, est: proximior gradu remotioribus praefertur quoad hereditatem in linea collaterali, prout Joannes Nicol. Hertius d) atque Joannes Fridericus Eisenhardt V. C. e) abunde demonstrarunt.

## §. VIII.

*Juris Romani de Jure Representationis Decreta.*

Sed his ipsis, in primis autem proxime in sequentibus temporibus magna in Germania per introductionem variorum Jurium peregrinorum in fora Germanica, praecipue vero per introductionem receptionenique Juris Civilis Romani rerum ciuilium facta est conuersio. Et quis quaeso dubitabit, quin hujus Juris Civilis Romani receptio patios majorum nostrorum mores de successione, quae fit ex jure representationis, vicaria immutauerit non nihil? Sed priusquam de hac mutatione dicamus, ut ordine procedamus, vtque omnia in lucem eo clariorem proferantur, Juris Romani de jure representationis decreta paucis exponenda praemittendaque ceteris esse videntur. Dixi autem jam ab initio hujus libelli, f) inter descendentes jus representationis apud Romanos jam inde ab antiquissimis temporibus visu fuisse receptum. Quoniam vero circa hereditates cui aiaeque maternaes id jus nepotibus neptibusque diu, etiam postquam filii admissi sunt ad hereditatem, non plene atque semel quasi simulque datum, sed sensim potius inductum est, g) praeterea vero frater olim fratrijam mortui filium prorsus excludebat, quia in linea collaterali non, vti quidem in linea recta, locum habebat jus representationis, quod tamen deinde a Justiniano mutatum: hoc loco Juris postissimum recentioris Romani & Justiniane de cunctis successione

## C 2

d) loc. cit.

e) In den Grundsätzen der Deutschen Rechte in Sprüchwörtern, pag. 260.

f) §. III. pag. 4.

g) vlt. J. de Heredit. quae ab

Intest. def. §. I. J. de SC. Orphit. l. 9. l' vlt. C. de Suis & Legit. Liber. conf. Anton. Schultingie Jurisprud. Antejust. ad Vlpiani Fragm. Tit. XXVI. §. II. not. 16.

fione vicaria enarrabimus, idque vel ideo, quia *Jus Romano-Justinianeum* saeculis XIII. & in sequentibus ex Italia in Germaniae foro migravit, atque ibi tanquam jus commune & subsidiarium receptum est. Enimvero secundum haec Jura Romano-Justiniane prima omnia & ante omnes cuilibet defuncto succedunt descendentes quicunque, siue illi sint nati, siue nascituri, sine differentia tenuis & gradus, sui pariter & emancipati, praedefunctis tamen, vltiorum graduum liberos quod attinet, personis inter mediis. h) Quamuis autem descendentes, quotocunque etiam sint gradu, si nemo eos antecedat, succedant omnes, gradus tamen ratione portionum statuit discrimen. Etenim primi gradus liberi semper succedunt in capita, qui vero sunt vltiorum graduum, in stirpes jure repraesentationis, quae successio in stirpes etiam tunc obtinet, si soli ad sint vltiorum graduum liberi, & primi gradus nulli concurrant. i) Si defunctus descendentes nullos reliquit, Adscendentes vocantur ad successionem, ita tamen, vt in his, cessante prorsus jure repraesentationis, proximior semper excludat remotiores. Plures numero & ejusdem gradus, si sunt soli, in lineas, si cum germanis germanorumque defuncti liberis concurrunt, cum ipsis in capita succedunt, hi autem, scilicet germanorum liberi, si ad sint, jure repraesentationis vtuntur, quod si vero soli existant fratrum sororumque germanorum liberi, hi ab adscendentibus prorsus excluduntur. k) Deficientibus & descendantibus & adscendentibus, ad successionem vocantur Collaterales. Primi autem in successione ex transuerso sunt fratres defuncti & sorores germanae, eorumque liberi primi gradus; illi suo jure in capita, hi jure repraesentationis in stirpes. l) Si nulli fratres sororesque germani, sed soli germanorum ad sint liberi, hos patruo defuncto in capita potius, quam in stirpes succedere, verius esse videtur.

h) Nouell. CXVIII. Cap. I.

k) Nouell. CXVIII. Cap. II. Nou. CXXVII. cap. I.

i) Nouell. CXVIII. Cap. I. §. Sic tamen.

l) Nouell. CXXIII. Cap. III. Nou. CXXVII. Cap. I.

videtur. m) Germanis germanorumque liberis nullis ex fratibus, proximus in successione locus est fratribus & sororibus vni lateralibus, eorumque liberis primi pariter gradus, simul seruato in his jure repraesentationis, eo modo, quo id de germanoru[m] liberis expositum est. In his autem vni lateralibus, si concurrant consanguinei cum veterinis, paterna bona non cedunt consanguineis, materna veteris, sed potius promiscue tanquam ad vincum patrimonium concurrunt. n) His denique omnibus deficientibus, reliqui collaterales succedunt, ita tamen, ut proximior semper excludat remotiores, plures aequali gradu simul admittantur, absque respectu duplicitatis vinculi, & jure repraesentationis penitus cessante. o)

#### §. IX.

*Per Introductionem Juris Romani in Germaniam patrii  
mores de Jure Repraesentationis sunt immutati primo in linea recta.*

Atque haec, quae hactenus exposui, prima quasi sunt & generalissima elementa doctrinae Juris Romano Justinianei de jure repraesentationis, quibus, quantum hoc loco satis esse videtur, expositis atque praemissis, videamus, vtrum per hanc Juris Romano Justinianei introductionem receptionemque in foro Germaniae, patrii Germanorum mores de jure repraesentationis, quos antea descripsimus, sint immutati, & quae tandem quantaque sit ista eorum mutatio? Dicamus autem, ut omnia ordine peragantur, primo de linea recta. Qualis autem medio aeuo atque ante introductionem Juris Romano Justinianei in foro Germaniae apud Germanos fuerit descenditum successio, de ea re §. anteced. VII. abunde diximus. Deseruerunt Alamanni quidem, neutiquam vero Saxones, vetus illud Juris Germanici principium de filiis familias in successione filiabus praferendis, quod autem ad successionem nepotum vicariam attinet, eam per omnia similem habuerunt

C 3

&

m) Nouell. CXVIII. Cap. III. §. sed & ipsis.

n) Nouell. CXVIII. Cap. III.  
o) Nouell. CXVIII. Cap. IV.

## 22 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

& Alamanni & Saxones atque igitur vniuersa paene Germania. Verumque nimisrum speculum nepotibus, qui sunt ex filiis, tribuit jus succedendi in locum, gradum & portionem patrum suorum jam mortuorum, sed vtrumque addit simul verbis expressis: *Dießes aber widerfärbet den Töchterkindern nicht, dasz sie sollten mit der Tochter in des Groszvaters oder der Groszmutter Erbe koennen gleichen Theil nehmen.* Ex quo vero Jura Romano Justiniane in Germaniae fora penetrarunt, migrarunt majores nostri hos mores suos patrios catenus, vt non tantum Saxones filias aequae ac filios promiscue admittent ad successionem in bona parentum allodialia & hereditaria, sed vt etiam per vniuersam Germaniam nepotes neptesque in vnum omnes, sive sint ex filiis, sive ex filiabus sine discrimine gaudenter jure repræsentationis. De Saxonibus filias aequae ac filios promiscue admittentibus ad successionem in bona parentum hereditaria, nulla quidem, quantum scio, exstat lex vniuersalis, qua jus illud nouum, moribusque Saxonum patriis adeo contrarium, fuerit introductum; receptum tamen illud esse sine omni controuersia satis superque comprobant praxis plurium saeculorum & experientia quotidiana. Atque agnouerunt fortassis Saxones Juris Romano Justiniane, sensim sensimque in Germania introduciti, hac in re aequitatem iustitiamque, ex aduersa autem parte, vti olim Franci temporibus Marculfi, iniuriam morum patriarchorum, filias non nisi in subfidium, deficientibus prorsus filiis, ad successionem admittentium, factum itaque forsitan est, vt, quamvis nulla ea de re lata sit lex expressa, solo non vsu patris istos mores paullatim migrarint, in eorum autem locum vsu & consuetudine Jura Romana adoptarint. Sed, missis his, progredimur potius ad Jus Repræsentationis, quod his temporibus nepotibus omnibus, sive sint ex filio, sive ex filia per vniuersam Germaniam concessum est, quamvis olim & Alamanni & Saxones id expresse negarint nepotibus ex filia. Sed quemadmodum nulla est tam facilis res, quin difficilis fiat, si inuitus facias; ita etiam hujus juris repræsentationis ad nepotes ex filia prorogatio, quamvis aequitate sua justitiae adeo commendabilis, tamen majoribus nostris, diu displi-

displiuisse videtur, neque sola Juris Romani in Germaniae  
fora introductio ad contra nitendum satis habuit auctoritatis,  
sed necesse omnino erat, vt accederet Imperatorum statuum-  
que J. R. G. auctoritas. Factae itaque sunt eum in finem va-  
riac leges publicae, in primis ab Maximiliano I. & Carolo V.  
Imp. Imp. In Recessu Imperii & Ordinatione Camerali de an-  
no 1500. p) auctoritate Maximiliani I. Imp. condita, ea de  
re legitimus haec sequentia: *Ordnen, setzen, erklären und  
wollen wir, dass Dichter oder Enkeln nun hinfür an ihrer ei-  
nem Verlassen Hab vnd Gutter mit ihrer Vater, Mutter Ge-  
schwister an statt ihrer Vater vnd Mutter zu erben nach laut  
gemeiner geschriebner Kayserlicher Recht zugelassen werden  
sollen. Der Gewohnheit, so an etlichen Orten dawider seyn  
moecht, vnangesehen, dann Wir auch dieselben Gewohnheit,  
als der Mildigkeit, Rechten vnd Billigkeit wiederwaertig vnd  
ungemeiss, aus Vollkommenheit Vnsrer Macht vnd rechter Wis-  
sen abthun und vernichtigen &c.* His autem verbis Maximili-  
anus I. nepotibus in genere omnibus dat jus succedendi ex jure  
repraesentationis, omnes consuetudines contrarias tollit &  
abrogat. Sed nepotes ex filio id jus habebant jam jam per uni-  
uersam Germaniam, prout supra ex Speculo Saxonico & Ala-  
mannico probauimus, ergo de nepotibus ex filia potissimum  
haec Maximiliani I. est intelligenda. Cum autem ea non vbi-  
que debito modo obseruaretur; Carolus V. Imp. in Recessu  
Imperii Wormatiensi de anno 1521. renouauit eam atque edi-  
xit: q) *Item als auch hievor auf dem Reichs-Tage zu Augs-  
burg anno 1500. geordnet worden, dass die Dichter oder Enkeln  
ihren gestorben Anberrn oder Anfrauen mit ihrer verstorbenen  
Vater und Mutter Geschwistern in die Staemm erben sollen, und  
aber solchs von etlichen Obrigkeitkeiten ihren Unterthanen noch  
nicht publiciret, vnd dieser Satzung nach zu urtheilen verkün-  
det worden: wollen Wir biemit Vnsfern Statthalter vnd Regi-  
schaffen vnd gebiethen, dass sie an Vnsfer statt vnd Nahmen ver-  
schaffen und gebiethen, damit dieser Articul mit angebengter  
Derogation,*

p) §. Die Succession der Dichter q) §. Item als auch hievor auf  
oder Enkeln. dem &c.

24 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

*Derogation, wie der in angezeigten Abschiedt zu Augsburg begriffen, nachmals von einer jeden Oberkeit den Vnterthanen verkundet, vnd dem nachzukommen befohlen werd. Publicatum etiam est eodem anno 1521. die 28. Nouemb. per Regimentum Imperii Edictum, quo per vniuersam Germaniam leuera lege constituitur, vt quae in Recessibus Imperii, antea commemoratis, præscripta sunt sancte ab omnibus obseruentur, atque nepotes neptesque gaudeant jure repræsentationis. Atque sic tandem celebre hoc repræsentationis jus, de quo formando introducendoque per tot sæcula laborarunt Germani, in linea recta tanquam jus commune & vniuersale introductum est in Germania, atque ita receptum est, vt ab hoc tempore non nepotes tantum neptesque, sed quicunque descendentes, cujuscunq; sint gradus, dummodo eos nemo antecedat, eo gaudeant. Enimvero, quis quaeso dubitabit, quin vnius Juris Romano Justinianei in Germaniae foro recep-tio principalis sit causa & ratio, quare majores nostri patrios suos mores, quorum alias semper fuerunt tenacissimi, hac in re paullatim migrarint? Etenim facta est insignis haec morum priorum mutatio non, nisi postquam Jus Romanum in foro Germanica jam penetrarat, atque jus illud nouum, quod Germani, insuper habitis moribus suis patriis, eorum in locum receperunt, Juris Justinianei de successione descendantium legitima decretis tam simile est, vt vix ouum ouo possit esse similius. His addo ipsius Imperatoris Maximiliani I. legem ante adductam, vbi expressis verbis nepotes jure repræsentationis gaudere debere ait Imperator: Nach laut gemeiner geschriebener Kayserlichen Rechte, quibus verbis, hoc certe loco, nil aliud intelligi potest, quam Jus Romano Justinianum, id quod vel ipse Conradus Sincerus, si viueret, haud facile negaret, qui tamen alias per verba Gemeine Rechte, hinc inde in legibus Imperii obvia, non tam Romana intelligit, quam Domestica Jura. r)*

§. X.

r) In Dissert. Epistol. de Germaniarum Legum Veterum ac Romani Juris in Republica nostra

origine auctoritateque præsen-ti. §. 77. 78 sqq.

## §. X.

*Per introductionem Juris Romani in Germaniam patrii mores  
de Jure Repraesentationis in linea potissimum  
collaterali sunt immutati.*

Vt autem cetera peragamus, progredimur nunc ad lin-  
eum collateralem, atque ad alteram classem eorum ab intesta-  
to heredum, ratione quorum quaeritur, vtrum per introduc-  
tionem Juris Romani quoad jus repraesentationis patrii Ger-  
manorum mores sint immutati, nec ne? Nam lineam adscen-  
denter quod attinet, de ea constans est & indubitate juris re-  
gula: proximior semper excludit remotiores, cessante pro-  
fus jure repraesentationis. Quemadmodum autem olim inter  
ipso adeo descendentes majoribus nostris diu ignotum fuit  
jus repraesentationis & inde descendens successio nepotum vi-  
caria, ita ii etiam cognatis a latere junctis semper olim &  
constanter negarunt hoc juris beneficium, adeo quidem, vt, et-  
iamsi quoad lineam rectam sensim sensimque deseruerint prin-  
cipia vetera, & vteriorum graduum liberos, non omnes qui-  
dem, quosdam tamen, si nemo eos antecederet, ad successio-  
nem in bona parentum ex jure repraesentationis admiserint, de  
hoc tamen eodem jure nepotibus ex fratre vel forore conce-  
dendo, quantum quidem scimus, ne cogitasse quidem videan-  
tur. In ipsis itaque Speculis, successionem collateralium quod  
attinet, primo omnium vocantur fratres fororesque germani,  
iisque soli, etiamsi adhuc fratrum bilateralium jam mortuorum  
liberi, deficientibus fratribus fororibusque germanis, eorum  
liberi, si qui sunt, in capita succedont, ita tamen, vt cum  
iis concurrant fratres fororesque unilaterales, secundum regu-  
lam: *Halbgeburth tritt einen Grad weiter;* & sic porro sem-  
per proximior, vtpote qui omnes excludit remotiores, prou-  
ti hac de re supra jam jam, quantum satis, disseruimus. Ab  
his vero Juris Germanici antiquioris principiis vehementer ab-  
horrent ea, quae Jus Romano Justinianeum, in primis autem  
Nouella CXVIII. de successione collateralium stabililiuit. Sed  
hoc tamen non obstante postmodum Jurisprudentia Romana  
penetrauit in Germaniae foras. Itane vero Jura patria per in-

## 26 DE JVRE REPRAESENTATIONIS EJVSQVE

roductionem hujus juris peregrini in exsiliu[m] acta? Atque quis quae[m] adeo hospes rerum Germanicarum ciuilium, adeo ignarus est, vt nesciat, quanto conatu Doctores Juris, in Academiis praeſertim, in id alloborant, vt in Germania, si fieri posset, quaecunque negotia Romana iustitia terminarentur, quam vchementer vero etiam majores nostri, Scabini praeſertim, morum quippe patriorum tenacissimi, his eorum conatibus obſliterint? Quae cum ita fint, facile est ad existimandum, doctrinam de ſucceſſione collateralium ab intestato largam praebuisse materiam occaſione cuius Germani his temporibus luſtando ſe exercere poterant. Durauit autem hacc jarium discordia, quam ſola procreauit Juris Romani in Germaniam introductio, quamque horum temporum Doctores Juris, qui quaſi in verba Justiniani jurarant, indies reddiderunt maiorem acerbioremque, vsque ad tempora Caroli V. Imp. quibus ea tandem legibus publicis, eum in finem conceptis, composita eſt & definita. In iisdem enim Comitiis Wormatiensibus, quibus Carolus V. Imp. Maximiliani I. legem de jure repreſentationis liberis veteriorum graduuin concedendo, renouauit & conſirmauit, idem Imperator de neputum ex fratribus ſororibusque ſucceſſione legem tulit, cuius verba, quae huic pertinent, ſunt ſequentia: s) Nach dem auch in Gemeinen Rechten verſehen, wie Bruder und Schwester Kinder mit ihres abgeſtorbenen Vater oder Mutter Bruder oder Schwester die andern abgeſtorbenen ihres Vaters oder Mutter Brudern oder Schwestern in Stamm Theil erben ſollen; Vnd aber ſolches aus Vnwiſſenheit und Misbrauch in viel Enden nit gehalten: So wollen Wir, daß bemeldte Unser Statthalter und Regiment bey jeden Oberkeiten im Reich verfügen, ſolches ihren Unterthanen zu verkunden, mit gleicher Derogation, Vernichten und Abthüng der Gebrauch und Gewohnheiten an jeden Ort zu verſchaffen. Vi hujus mandati Caelarei itaque Regimentum Imperii eodem in Edicto Norimbergenſi, cuius §. anteced. fecimus mentionem, expreſſa & ſeuera lege decreuit, vt nepotes neptesque ex fratribus ſorori- busque

s) Vid. Recessum Imp. Wormatiensem de anno 1521. §. Nach dem &c.

busque gauderent jure repraefentationis: *Nach laut gemeiner geschriebener Kayserlicher Rechte, addita hac clausula derogatoria: Aller vnd jeder Gewohnheit, so an einigen Orten darwieder seynd, oder verstanden werden moechten, vncerbindert, welche Gewohnheiten, als den Rechten vnd dieser Ordnung zu wieder vnd ungemess wir obgedachten Beschluss nach, vnd aus Vollkommenheit Vnsrer Kayserlichen Macht, vnd rechter Wissen hiermit abthun, derogiren vnd vernichten.* His itaque in duabus legibus patrii majorum nostrorum mores prorius sunt immutati, adeo, vt, qui olim plane exhortes habebantur hereditatis nepotes ex fratribus sororibusque, quamdui fratres sororesque defuncti adhuc erant superstites; ab hoc tempore vna cum fratribus defuncti adhuc superstibus succederent in bona patrii aut auunculi, non quidem in capita, sed in stirpes tamen & ex jure repraefentationis. Quid autem si soli adhuc nepotes neptesque ex fratribus sororibusque? Quod succedant patruo auunculoue defuncto, id quidem extra omnem est controuersiam, sed quomodo succedant, virum in capita, an vero in stirpes ex jure repraefentationis, id Caroli V. jam jam temporibus inter JCtos ex vtraque parte disputabatur. In eodem itaque Recessu Imperii Wormatiensi, cuius antea me mini, ita pergit Carolus V. t) *Vnd so bisher in Zweifel gestanden, vnd bey den Rechtsgelehrten stetig Meinung befunden werden, so ein abgestorbner binder ihm verlaest zweyer oder mehr seiner vor abgestorbner Bruder oder Schwester Kinder, ob denselben den letzt abgangen ibren Vaetern oder Mutter seeligen Brüder oder Schwester in die Häupt, (in capita) oder Staemm, (in stirpes) die verlaffen Güter zu theilen erben sollen; damit in solchen weitläufige Rechtfertigung abgeschnitten und furkommen werd, so sollen berahrtte Vnser Statthalter vnd Regiment darüber fleisig rathschlagen, sich einer rechmaesigen billichen Satzung vergleichen, ob dieselben in die Staemm oder Haupter erben sollen, vnd alsdenn dieselbige Constitution an Vnser statt und Nahmen aufrichten, die allenthalben im Reich verkunden, vnd also zu halten verfügen. Quamuis*

D 2

uis

c) §. *Vnd so bisher in Zweifel gestanden &c.*

28 DE JVRE REPRAESENTATIONIS EJVSQVE

uis autem eodem in anno ab Regimento Imperii publicata fuerit lex de successione nepotum, prouti paullo ante indicaui, tantum tamen abest, vt in hoc edicto Norimbergensi haec dicta controuersia fuerit decisâ & composita, vt illius ne quidem mentio fuerit facta. Tandem vero anno 1529 prodiit, quae his temporibus adeo desiderabatur, Constitutio maxime memorabilis u) qua celebris ista juris controuersia hunc sequentem in modum fuit decisâ: *Als bisher durch die Rechtsgelehrten in Zweifel gezogen ist, ob eines verstorbenen Bruder oder Schwester Kinder desselben ihres Vater oder Mutter Bruder oder Schwester nachgelassene Erbschaft vnter sich in die Häupter oder in die Staemn theilen sollen, vnd darumb in solchen Zweifel vnter Vnsern vnd des Heiligen Reichs Unterthanen etwann viel Irrung, Wiederwaertigkeit vnd Rechtfertigung zu derselben Unterthanen mit geringer Nachtheil vnd Schaden erwachsen, das Wir demnach, als Roemischer Kayser, gemeinen Nutz zu gut, solchen Zanck, zukunftige Rechtfertigung vnd daraus fließenden Vnrath zufurkommen, darinna gnaediglich gesehen, vnd mit Vnser vnd des H. Reichs Churfürsten, Fürsten vnd Stend zeitigen vorgehenden Rath gesetzt vnd geordnet haben, als Wir auch von Roemisch Kayserlicher Macht biemit wissentlich in obberübrten Fall ordnen vnd setzen, also: Wenn einer vntersift ab stirbt, vnd nach ihm kein Bruder oder Schwester, sondern seiner Brüder oder Schwester Kinder in vngleichiger Zahl verlaest, das alsdenn dieselben seines Bruder oder Schwester Kinder in die Häupter vnd nicht in die Staemn erbeu, vnd dem verstorbenen ibrer Vater oder Mutter Bruder oder Schwester dermaß zu succediren zugelassen werden sollen. Addita clausula derogatoria quorumcunque statutorum consuetudinumque huic legi contrariorum.*

§. XI.

- u) Kayserliche Constitution vnd Satzung, wie Bruder oder Schwester Kinder ihres Vatern Bruder oder Schwester verlassen Erbschaft vnter sich theilen sollen, de dato Speier die 23. April. 1529.

## §. XI.

*Vtrum hae Caroli V. de Jure Repraefentationis leges per  
vniuersam Germaniam vim juris auctori-  
tatemque sint naætae?*

Sic itaque Jurisprudentia Romana, &, qui illius introductionem receptionemque in foro Germaniae adeo promoverunt, Maximilianus I. & Carolus V. Imp. Imp. mores majorum nostrorum patios de successione descendantium & collateralium in exsilio egerunt, eorumque in locum successio- nem vicariam, quae fit ex jure repraefentationis, in Germania quidem olim non prorsus incognitam, sed quae tamen in linea tantum recta, neque in ea quidem semper locum habebat, isto fere modo & ratione introduxerunt, quo eam Justinianus in Nouella potissimum CXVIII ordinauit. Enimvero, cum antiquissimi Germanorum Jura Romana ipsis adeo armis saeuiora existimabant, atque morum priorum semper seruantissimi erant, his suis majoribus eorum posteri adeone parum similes erant, vt tandem patios suos mores tam facile migrarint, eorumque in locum jura receperint peregrina Romana? Atque jus repraefentationis in linea recta quod attinet, negari quidem non potest, maiores nostros ab eo tempore, quo Maximilianus I. in primis autem Carolus V. illud introduxerunt, nouum hoc jus, quamvis patriis moribus contrarium, tamen per omnem, qua qua patet, Germaniam sine difficultate, vti videtur, sine contradictione tantoque lubentius receperisse, quanto magis illud sua se aequitate justitiaque commendabat. Solus, quantum scio, Joachimus I. Elector Brandenburg jus repraefentationis ad nepotes tantum, non ad pronepotes & vltiorum graduum descendentes pertinere, sed hos potius a propioribus prorsus excludi voluit. x) Factum autem hoc fortassis est ob male intellectam legem Carolinam, atque etiam haud ita multo post iterum mutatum, prouti Sa-

D 3

muel

x) Vid. Illius Constitutionem de Successionibus anno 1527. latam, atque Christian. Godofred.

Hoffmanni ad eam conscriptam Dissertationem, pag. 80. 81. 82.

## 30 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS FJVSQVE

muel Stryckius y) atque Christianus Godofredus Hoffmannus z) monerunt. Ad lineam collateralem & successio-  
nem nepotum ex fratribus sororibusque vicariam quod attinet,  
eam non obstante lege Carolina ea de re lata, Germani non  
omnes receperunt, imo potius Saxones, tanquam rem mori-  
bus suis patriis e diametro contrariam sine exceptione rejec-  
runt. Promulgavit quidem Saxonie Dux, Georgius, legem  
Imperii Carolinam in terris suis prouincisque, atque, ut ab  
omnibus earum incolis sancte obseruaretur, mandauit, ex  
quo vero penitus cognouit, quam vehementer ea abhorreat a  
moribus Saxonum patris: auctoritatem dictae legis Carolinæ  
speciali Rescripto ad Senatum Lipsiensem dato, catenus inhibi-  
bit sustulitque, quatenus ea moribus patriis aduersetur. Ce-  
lebre hoc rescriptum varias ob causas dignum est, cuius ipsa  
verba legitima hoc loco adscribantur: a) Von Gots Genaden  
Georg, Hertzog zu Sachsen &c. Liben Getreuen, Wir haben  
euch vnaengst ein Abdruck eins Kayserlichen Edicts, welchs  
Kayserl. Majest. Vnser allergnaedigster Herr, der Succession  
ader Erbschaft halben, hat ausgehen lassen, uberschickt, mit  
Befehl, dass yr in euren Gerichten soldet vorfügen, dass bin-  
fuer auf die Faelle darinn ausgedruckt, nach Vermoege des dessel-  
ben Edict Gericht und zu Rechte gesprochen wurde. Wir be-  
finden aber dass hierinne ein Vbersehen beschien, Nachdem sol-  
lich Edict in den letzten Artikel meldende, dass Pruder vnd  
Schwester Kinder nube binfuer mit ihres abgestorben yres Vat-  
tern oder Mutter Pruder oder Schwester die andern abgestor-  
ben yres Vattern oder Mutter Prudern oder Schwester, nach  
laue gemeiner beschriebener Kayserlicher Recht, auch in dye  
Staem zu erben, tzugelassen werden sollen, den Landleuffti-  
gen Vnsern Saecbischen Rechten enkegen, derobalben Wir  
auch, wo sichs dermaß befindet, samme Vnsern Unterthanen  
von solchem Edict ausgerzogen. Hierumb Wir begehren, dass  
yr, vnangesehen daselbig Vnser Ausschreiben, dass Wir, so  
diesen

y) De Successione ab Intestate Diss. a) Vid. Codicem Augusteum Tom.  
I. Cap. IV. pag. 123. I. pag. 1043-46.

z) loc. cit. pag. 82. n. 2.

diesen Fall belanget, hiemit aufheben und widertziehen, in eu-  
ren Gerichten vorfueget, vnd darob seyd, dafs es in angerzeig-  
ten Falle, wie es tzuvorn, vnd ebe dasselbige Ausſchreiben  
ausgegangen, nach Vermoege der Saechſischen Rechte gehalten  
worden, nochmals gehalten, vnd zu Rechte gesprochen werde,  
vnd euch angetzeugtes Vnſer Ausſchreiben daran nichts irren  
lassen. In dem beschiet Vnſere gentzliche Meynunge. Gege-  
ben zu Dresden Donnerstag nach Marie Magdalene, Anno  
Dni M. CCCC XXII. Per hoc itaque Rescriptum, notatu  
dignissimum, Georgius Saxoniae Dux, tanquam custos Juris  
Saxonici vigilantissimus, mores Saxonum patrios incorruptos  
seruauit, atque Jus repraefentationis inter Collaterales, quod  
haec tenus ignorarunt Germani, Carolus V. Imp. autem intro-  
duxerat, non obstante hac Imperii lege publica, in terris suis  
prouinciisque prorsus cestare debere, seuera lege constituit.  
De Electore Saxoniae, Friderico Sapiente, ejusque fratre Joanne  
Constante haud quidem scimus, eos cura sua cogitatione-  
que simili ratione in id incubuisse, vt mores Saxonum patrios  
hac ex parte integros seruarent incorruptosque in terris suis  
atque prouinciis, ast Elector fortassis Carolinam legem in terris  
suis ne publicauerat quidem, id quod tamen fecerat Georgius  
Dux, proinde haud opus esse videbatur, vt ejusmodi legem  
contrariaam promulgaret, qualem postea Georgium Ducem  
scripsisse, vidimus supra Quam curam vero & sollicitudinem  
Georgius Dux in conseruandis Saxonum moribus juribusque  
patriis adhibuit, eandem etiam adhibuerunt insequentes Saxo-  
num legislatores, in primis autem ille Saxonum Solon, Au-  
gustus Elector, qui in Constitutionibus suis hac de re expre-  
sis verbis hanc sequentem legem scripsit: b) Wir wollen - - -  
dass Jus Repraefentationis auf Saechſischen Boden Vnſrer Lan-  
de nicht eingeführet haben, sondern Vnſre Meynung und Ge-  
müth ist, dass es solches juris repraefentandi auch anderer Per-  
sonen und Faelle, Succession halber, auf Gleichheit oder Ord-  
nung derer Graden allenthalben gehalten, gesprochen und er-  
kannt werden soll, wie es nach Saechſischen Rechten verzeben,  
und

b) Vid. Conſt. Saxon. Elect. Part. Tom. I. pag. 109. *XX. anno III. Conſt. XVIII. Cod. Aug.*

## 32 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

und in Vnsern Landen gebrauchlich und Herkommenis ift. Ab  
 hac tamen Juris Saxonici regula, haftenus tradita, excipien-  
 da sunt Feuda & successio feudalis. Hanc enim quod attinet,  
 vtique locum habet ius repræsentationis etiam inter collatera-  
 les. Ita enim ait Legislator Saxon, Augustus Elector. c) Es-  
 sind bis amero Vnsere Schoeppen Stuhle streitig gewesen, wie  
 das Sachſische Recht von dem Jure Repræsentationis zu ver-  
 stehen sey, vnd ob daffelbige allein von Erben, oder auch von  
 Lebns Folgern disponire? Dieweil aber in Vnsern Landen ge-  
 wöhnlichen gehalten, das Bruders Kinder mit dem Bruder in  
 stirpem, vnd also an statt ihres verstorbenen Vaters vor einen  
 Theil zu den Lehn zugelassen werden, so thun wir auch solche  
 Gewohnheit biemit bestaetigen, ordnen, setzen vnd wollen, dass  
 bemeldtes Ius Repræsentationis auf Sachſischen Boden Vnser  
 Lande diesfals in der Lebus Folge, ungeachtet, wenn auch die  
 Clauſul, nach rechter Sippzahl, in dem Lehn Briefe gesetzet  
 worden, statt haben soll. Praeterea etiam quibusdam aliis in  
 locis, vbi alioquin Jure Saxonico viuitur, contra Juris Saxon-  
 nici regulam haftenus traditam, gaudent nepotes ex fratribus  
 sororibusque jure repræsentationis, eo modo, qui in Caro-  
 lina lege præscriptus est, veluti in Ducatu Magdeburgico, Prin-  
 cipatu Halberstadiensi, & ipso adeo Episcopatu Numburgensi,  
 idque nullam aliam ob caufam, quam quia horum Episcopata  
 tum præsules Caroli V. jam jam temporibus Carolinam le-  
 gem, receperunt suisque in prouinciis introduxerunt. d)

## §. XII.

Vtrum Elector ceterique Saxoniae Duces interposita  
 protestatione sibi suisque prouinciis Juris  
 Saxonici vsum refuerarint?

Fuerunt non solum olim, sed sunt etiam adhuc hodie  
 plures viri docti, qui, Electorem ceterosque Ducees Saxoniae,  
 interposita

c) V. Conf. Saxon. Elect. Part. III. d) Conf. Chr. Phil. Richter de Suc-  
 cessi. ab Intest. Sect. III. Membr. I.  
 pag. 113.

interposita in ipsis Imperii comitiis protestatione solenni, sibi  
suisque prouinciis Juris Saxonici, hactenus expositi, usum au-  
toritatemque referuasse contendunt. Hos inter agmen for-  
tassis dicit Joannes Schneidewinus, qui hac de re ita ait: e)  
Et notandum, quod, licet Imp. Carolus V. an. 1521. in conuen-  
tu Noribergensi fecit Constitutionem, ut non obstante aliqua  
consuetudine loci, filii fratris praedefuncti debeant admitti ad  
successionem patrum cum defuncti fratribus in stirpem, tamen  
Elector & Dux Saxoniae contra hanc constitutionem sunt pro-  
testati nec eam receperunt, & q.s.r. Hanc Schneidewini len-  
tentiam & recentioribus, vt Coleros, Berlichios, aliasque anti-  
quiores taceam, sequuntur Samuel Stryckius, f) Joannes  
Fridericus Pfeffingerus, g) Christianus Thomasius h) alii-  
que plures, quos addere nolo. Primus, quantum scio, qui  
hanc protestationem Saxoniam in dubium vocavit, est Bene-  
dictus Carpzouius, i) hunc sequutus est Christianus Godo-  
fredus Hoffmannus, k) qui fallax esse omnia & confictitia  
ait, quae de hac protestatione Saxonica traduntur. Nihilo tamen  
secus ista Schneidewini sententia tam altas apud Jctos  
nostros egit radices, vt ipse adeo Joannes Gottlieb Heineccius,  
Jctus ceteroquin quam maxime oculatus, quamvis Hoffmanni  
conjecturam non prorsus neget, affirmare tamen eam atque  
concedere dubitet, nam: meretur, inquit, l) eleganissi-  
ma obseruatio disquisitionem paullo accuratiorem, quam com-  
modiori tempori reseruamus. Sed salua omnino res est. In  
ipso Recessu Wormatiensi de hac Electoris Ducumque Saxo-

E

niae

- e) In Comment. ad Inst. Libr. III. Tit. I. Sect. III. de Successione Collateralium, n. 14. p. 413.
- f) In Vsu Pand. Modern. Tom. I. Libr. I. Tit. III. §. 6 pag. 57. 58.
- g) In Institut. Jur. Publ. Libr. III. Tit. XVII. pag. 1148.
- h) In Dissert. de Statuum Imperii potestate legislatoria contra Jus Commune. §. LV. p. 38.
- i) In Definitionib. Forens. ad Const. Elect. Saxon. Part. III. Constitut. XVIII. def. 2. n. 10.
- k) In Dissert. §. anteced. citat. pag. 92. 93.
- l) In Element. Jur. Germ. Libr. II. Tom. I. Tit. IX. §. CCLXXXVIII. not. a. pag. 576. 77.

34 DE JVRE REPRÆSENTATIONIS EJVSQVE

niae protestatione ne littera quidem deprehenditur, quae tamen si vere fuisset interposita, non tantum non silentio præterunda, sed ipsis potius Recessus tabulis expressis verbis inferenda erat. Atque, si dicendum, quod res est, haud intellexerunt sine dubio Saxonie Duces, Georgius certe, quam vehementer abhorreat sanctio hujus Recessus de nepotum ex fratribus sororibusque successione vicaria ab moribus Saxonum patrii. Nam finitis Comitiis Wormatiensibus Recessum hunc, vti & Edictum Noribergense Georgius, Saxonie Dux, in prouinciis suis publicauit, atque vt illius sanctiones ab omnibus obseruarentur, mandauit, quo demum facto, auctoritatem illius speciali rescripto iterum sustulit, prouti §. anteced. ostendimus. Qui itaque fieri potuit, vt in ipsis Imperii Comitiis, interposita protestatione, sibi suisque prouinciis Jura Saxonica reseruasset? Interpoluit quidem Georgius Dux his in Comitiis protestationem, quae etiam ipsis Recessui Wormatiensi inserta, atque sine omni dubio omnis hujus erroris causa est & veluti mater, sed protestatio ista non respicit nouam istam de nepotum ex fratribus successione vicaria legem, concernit potius sessionem in comitiis & subscriptionem Recessus, quibus de rebus tunc temporis lis mouebatur inter Georgium Saxonie, atque Fridericum Bauariae Duces. En ipso hujus protestationis verba: m) Doch hat Vnser Oheimb, Hertzog Friedrich von Bayern, desgleichen Vnser Oheimb, Hertzog Iorg von Sachsen, mit öffentlicher Protestation vor Vns Churfürsten, Fursten und Staenden nicht anderst in dies nachfolgende Ein schreiben der Furstlichen Personen und sonst bewilligen wollen, dann ihnen, ibren Vettern, und beyden Hausern Bayern und Sachsen an ihrer Session alten Herkommen und Gebreuchen unab brüchig und unbegeben. Communis itaque Doctorum plerorumque omnium sententia, de Electoris Ducumque Saxonie in Comitiis Wormatiensibus interposita protestatione, qua sibi suisque prouinciis Jura Saxonica, legi Carolinae de nepotum ex fratribus successione vicaria, prorsus contraria reseruarint, si recte rem intelligo, omni destituitur fundamento, atque ab Carpzouie

m) Vid. Recess. Imper. Wormatiens. de anno 1521. §. Doch hat &c.

Carpzouio & Hoffmanno jure meritoque in dubium vocata & negata est. Neque etiam, teste Hoffmanno, n) cautione hac opus fuit, ut Juris Saxonici obseruantia integra maneret, sufficere poterat, quod nouo juri in terris suis prouinciisque Saxonicae Electores Ducesque locum dare nollent, id quod in Saxonia vere factum fuisse, tam Jura Saxonica recentiora, quam praxis & experientia quotidiana luculenter confirmant & comprobant.

§. XIII.

*Brevis Delineatio Successionis ex Jure Repraesentationis  
vicariae secundum principia Juris  
Germanici hodierni.*

Exposuimus itaque, quantum hoc loco fieri potuit, successionis ex jure repraesentationis vicariae apud Germanos origines primas, illius progressus fataque & vicissitudines varias atque insignes. Quemadmodum autem ea, quae haecennus diximus, quamuis ad rei momentum plurimum adferant & lucis & voluptatis, ab aliis, qui de Jure Repraesentationis scripserunt, maxima ex parte neglecta sunt, ita e contrario, quae vsum doctrinae de successione ex jure repraesentationis vicaria hodiernum & practicum concernunt, ab Joanne Christophoro Heroldo, o) Christophoro Philippo Richtero, p) Samuel Stryckio q) aliisque tam copiose, tamque luculenter exposita & pertractata sunt, ut, quae iis addam, non habeam. Hanc itaque ob causam, praeterea vero, quoniam angustiae loci, quibus inclusi sumus, nos cogunt, breuitatis in primis rationem habere, cum propemodum jam haec disputatio fines suos euagata esse videatur, coronidis loco summa veluti tantum capita vsus hodierni hujus doctrinae duobus verbis attingere volumus. Jure itaque nouo & hodierno cuicunque defuncto primo omnium succedunt liberi omnes, siue nati siue nascituri, legitimate nati, & per subsequens matri-

E 2

monium.

n) loc. cit. pag. 93.

o) De Jure Repraesentationis.

p) De Successione ab Intestato.

q) De Successione ab Intestato.

## 36 DE JURE REPRAESENTATIONIS EJVSQVE

monium legitimati, sui & emancipati, sine differentia sexus & gradus, dummodo, vltiorum graduum liberos quod attinet, nemo eos antecedat. Quanvis vero descendentes, quo- eunque gradu sint, succedant omnes, gradus tamen ratione portionum discriminem statuit. Primi enim gradus liberi suo semper jure & in capita, qui vero sunt vltiorum graduum, in stirpes succedunt ex jure repreaentationis, idque isto, vt dixi, modo obtinet, etiamsi soli supersint vltiorum graduum liberi, & primi gradus nulli concurrant. Et in hoc succendi modo, quoad descendentes, etiam Saxones hodie ad- quiescant, nili quod filii in rebus ad expeditionem bellicam spectantibus, *im Heergerachte*, filiae in rebus vtenfilibus, *in der Gerade*, potiores habeant partes. In Prussia nostra Polona Jus nostrum Culmense eundem inter descendentes succedendi seruat ordinem, r) Jus autem Terrestre Nobilitatis Prussiae, ad exemplum Juris Feudalis, de quo tamen nobis hoc loco non est sermo, filios insigni ista donat praerogativa, vt exclu- dent filias ab omni hereditate paterna & materna, accipiunt tamen dotem, & quoad elocentur, alimenta. s) Si defun- tus descendentes nullos reliquit, vocantur quidem hodie regu- lariter Adscendentes, ita tamen, vt in his, cessante prorsus jure repreaentationis, proximior excludat omnes remotores. Deficientibus & descendantibus & adscendentibus, in Collate- rales deuoluntur hereditas. Primi autem omnium in successio- ne ex transuerso sunt fratres sooresque germani eorumque li- beri primi gradus, illi suo jure in capita, hi, si concurrant cum ipsis, jure repreaentationis, in stirpes, si autem soli sint, Jure Imperii R. G. in capita succedunt. Germanis germano- rumque liberis deficientibus, proximus in successione locus est fratribus & sororibus vnilateralibus eorumque liberis primi gradus,

r) Vid. Jus Culmense. Libr. III. Tit. IX. Cap. I. pag. 138. atque Vir. Illust. Daniel Gralath in Beckeri Vnterricht von der Computatio- ne Graduum & Successione ab Intestato Cap. II. §. 18. pag. 39-40.

s) V. Daniel Pattersoni Jus Terre- stre Nobilitatis Prussiae Tit. I. §. 2. 3. 4. pag. 1. & Illustr. Da- niel Gralath I. c. Cap. II. §. 24. pag. 42. 43.

gradus, simul seruato in his, vt ante diximus, repraesentationis jure. His denique deficientibus, reliqui Collateralium succedunt, ita, vt proximior semper excludat remotiores, plures aequali gradu simul admittantur absque respectu fere duplicitatis vinculi, & jure repraesentationis penitus cessante. Saxonie successionem Collateralium duabus potissimum ordinant regulis. Vna est: Unilaterales juris fictione bilateralibus uno gradu habentur remotiores, *Halbe Geburth tritt einen Grad weiter.* Altera: Cessat in linea Collaterali, praeterquam in Feudis, omne jus repraesentandi. De cetero Jure quoque Saxonico proximior excludit remotiores, *Der sich naeher zu der Sippe ziehen mag, der nimmt das Erbe den andern weitem zuvor;* & plures pari gradu simul admittuntur, *Alle, die sich gleich nahe zu der Sippe ziehen moegen, die nehmen gleichen Theil daran, es sey Mann oder Weib.* Vnum patrum, & qui pari gradu sunt, amitani, auunculum, materteram a fratre vel sorore defuncti unilaterali, bilateraliumque liberis excludi voluit Augustus, Elector Saxonie. t) Prussi, qui Jus Culmense sequuntur, pariter ut Saxones, in linea Collaterali ignorant prorsus jus repraesentationis, u) obtinet etiam his in terris, certe Gedani, si vnicum tantum excipias casum, x) ex speciali decreto Magnifici Senatus y) altera Juris Saxoniei regula: *Halbgebubrtritt einen Grad weiter.* Atque haec sunt potissima successionis ex jure repraesentationis vicariae hodiernae, capita, eaque omnia, quae de illius apud Germanos origine & progressu hoc loco a me explicari potuerunt. In quibus, si apud aequos rerum existimatores diligentiae saltem laudem fuero meritus, summos me operae meae fructus percepisse arbitrabor.

- t) Constit. Elect. Part. III. Conf. 18.
- u) Jus Culmense Libr. III. Tit. IX. Cap. XI. pag. 142. Conf. Illustr. Daniel Gralath l. c. Cap. IV. §. 43. pag. 102.
- x) De quo vide Jus Culmense Libr. III. Tit. IX. Cap. XII. pag. 143.
- y) De anno 1726 d. 22. Maii. Conf. Illustr. Daniel Gralath l. c. Cap. IV. §. 43. pag. 103. 104.

Respondenti suo Ornatissimo

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**uo rariores hodie juuenes sunt dociles, probi piique, eo  
majori voluptate summa Tua discendi cupiditas, mo-  
rumque vitaeque probitas me semper affectit. Ab eo enim  
statim tempore, quo Athenaeum nostrum accessisti, pra-  
electiones meas, neque Juridicas tantum, sed & Historicas  
taato semper studio tanta discendi cupiditate frequentasti, vt  
nullam facile, ad has disciplinas a me tradendas destinatam,  
mitteres perderesque horam. Cum hac docilitate laudabili  
honestos semper conjunxisti compositosque mores, pietati-  
tem, honestatem, probitatem, modestiam, probe gna-  
rus, eos omnes, qui in litteris quidem proficiunt, neutri-  
quam vero in moribus plus deficere, quam proficere. Hac  
autem ratione non tantum nostrum omnium amorem Tibi  
conciliasti, verum etiam, cum curta Tibi sit tenuisque sup-  
pellex, effecisti, vt nuper ab *Praenobilissimo Amplissimoque*  
*primariae Ciuitatis Dicasterio* dignus sis habitus, cui Lega-  
tum Fischer - Ferberianum persolueretur. Est autem  
ea Illustris Testricis voluntas, vt omnes, qui legato isto  
insigni compotes esse cupiunt, specimine aliquo publico, se  
dignos omnino esse hoc tanto beneficio, comprobent. Ex-  
inde nata occasio conscribendae hujus Exercitationis, atque  
ita Te in hoc nostro Athenaeo comparasti, ita meditatus es,  
vt eam non sine summa laude sis defensurus, & relicto Athe-  
naeo nostro, cum fructu in Academiis scholas Juridicas sis  
ingressurus. Gratulor itaque Tibi hanc laudem, hocque di-  
ligentiae doctrinaeque Tuae specimen insigne, optoque vt  
praemia virtutis vberrima percipias. Vale. Dabam Gedani die  
xxx. Septemb. A. R. S. c. 10. cclxxl.

Disserta-



## Dissertationis Defensori politissimo

S. P. D.

D. G. Weickmann,

Opp.

**N**on possum non, animum meum Tibi declarare gratissimum; quod Tu, indefessa Tuae diligentiae, simulque progressum Tuorum in Jurisprudentia specimen editurus, publicae Tuae laudis, Tuaeque victoriae, & me publicum esse volueris testem. Evidem si exiguo, tenerosque in rebus juridicis prosector meos pondero, aduerfarii munus recusare potius, quam in me suscipere debuisssem. Ast, mutua tum, quae nos jungit amicitia, tum Excellentissimi Domini Praesidis admonitione & excitatione commotus, opponentes partes tueri, lubentius constitui, persuasus, occasionem mihi fore, integræ meae erga Te amicitiae publice edendi documenta. Gratulor Tibi hoc eruditiois Tuæ specimen, gratulor victoram, jam quasi reportatam. Summum vero & praepotens Numen gratia Sua semper Tibi adsit, studiis annuat, peregrinantem ducat & comitetur. Tu, vero eodem me prosequi, quo huc usque prosecutus es amore pergas, meamque erga Te amicitiam perpetuam fore persuasus esto.

**L**icet quidem Respondens doctissime! nunquam arctiori amicitiae vinculo juncti fuerimus; nullus tamen potui, quin munera opponendi a Te mihi sublata, in me suscepserim. Non enim institui solent Disputationes ad augendum mutuum erga nos amorem, verum ad exercitationem; Praeterea nec defunt exempla, vbi disputando firmissimæ saepe amicitiae dissutæ sunt: Quapropter ridiculi mihi semper fuerunt; qui ob amicitiam id agere nobis persuadent, quod fibimet Ipsi debent. Ceterum nihil intererit, utrum placuero; an minus; Cum nec ad ostentationem in arenam descendam; nec ultra Vires quisquam obligetur. Vale.

L. G. Schendel,

Opp.

Amice



Amice suauissime!

Insignem, quam Tibi acquisiuisti juris peritiam, ut multa  
efferam laudatione haud opus esse videtur, quum publi-  
ca hujus dissertationis defensione paeclarum ejusdem editurus  
es specimen. Quod mihi mandasti aduersarii munus, licet  
ad id rite gerendum idoneas vires mihi deesse haud ignorem,  
tamen lubenti in me suscepi animo, quum Tuum erga me  
amorem inde cognoscerem Tuamque amicitiam. Pugnabo  
itaque in loco destinato leuibus quamuis armis succinctus,  
Tuamque victoriam reportandam augebo. Jam, quod  
suscepturnus es, iter jubeat DEVS T.O.M. felix esse fortuna-  
tumque, vti & omnia Tua conamia ex optato fluere. Ca-  
eterum, vt singularis, qua huic me dignatus es, fami-  
iliaritatis & in posterum reddas participem, Te etiam atque  
etiam rogo. Vale.

C. B. Jantzen,

Opp.




VD  
18

ULB Halle  
002 713 802




3

SL,



B.I.G.



Br. 48. *mumatt*.

13

ATIO JVRIS  
DE  
PRESENTATIONIS  
IN GERMANIA  
ET PROGRESSV  
AESIDE  
GOTTLIEB PAVLI

PROF. PVBL. ET ATHEN. INSPECT.

TOB. A. R. S. MDCCCLXI

ORIO MAXIMO

DISPVTANDVM

PROPOSITA

AB

GOTTLIEB HECKER, GED.

LEGATI FISCHERO-FERBERIANI.

EDANI

JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS

GYMNASII TYPOGRAPHI.

